

II i
1131

I. N. D. N. F. C.
EXERCITATIO HISTORICO-
THEOLOGICA,
IN QUA

RELIGIO
MOSCOVITA-
RUM,

SUB PRÆSIDIO
DOMINI
JOH. CONRADI DANN-
HAUERI,
S.S. Theol. D. P.P. Conv. Eccl. Præf.

breviter delineata & exhibita

à

M. MICHAELE VON OPPENBUSCH,
Amstelodamense.

ARGENTORATI,
Recusa ANNO MDCCIII.



R.N.
427
5



UNIVERSITÄT
SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG

NOV 17 18 19 20 21





Lectori Benevolo, S. P.



Ala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum, in tempore suo. *Malum est aureum, quo pro verba sua coronat divinus Rex Salomon; sed Interpretum glossis, Versionum per-versionibus, & Explicationum implicationibus, tanquam rubiginibus, foedatum, ac obscuratum magis, quam obscurum. Quid enim non audent Translatores, in sola Hebraea Voce, MASKIOTH, exponenda? in monili Sardii, LXX. in Coelaturis argenteis, Chaldaeus; in conspicuis Argenti, Symmachus & Theodotio; cum Imaginibus & Sculpturis, Thargum; in Thecis transparentibus argenti, Regia; in Lectis argenteis, Vulgata; in sculptura argentea, Correcta; in figuris argenteis, Juniana? Quod non trahunt coguntq; oraculi divini sententiam qui in eo aestuarunt? plerisque poma aurea; non viva sunt & vera; sed facta, picta, ad tornum quasi elaborata. At, quid mirifica delectationis habet pomum, licet aureum pictum tamen? Quid suavitatis ad palatum? An, ut Heliogabalus coenas fictiles, marmoreas, eburneas, Ixonii suis amicis, ac parasatis, adornavit, Salomon obsonia addere voluit ejusdem ludibrii? Et quae tandem pomi picti, cum sermone vivo, quae lecti, cum opportunitate temporis consensus? Sunt igitur Poma, non efficta; sed germana: non ab unguentis; sed à natura, odorata: aurea, non à materia; sed colore, decore, pulchritudine, si ve Citren; si ve Cydonia; si ve Chrysomela malis. Quid fructus malorum tempestivi, maturi, inter obsonia apposti, habeant allectamenti; vel Tantalii, poma fugacia captantis, cruciatus; vel Atalantæ in poma visa furor; vel nostramet appetentia, testatur. Videas inter fercula opipara & lauta, multa, non modo delicatos; sed robustos etiam, fastidire convivas; sed nemo unus est, tam onustus cibo, potuq;, qui, ad mensas secundas, quasi integram*

famem non afferat & illatis malis non injiciat manus. Hoc itaq;
 voluit Rex θεός πνεύς: Verbum, dictum, oratio propria rei, de qua
 agitur, omni numerorum ac morum concinnitate de vincula, quasi
 quibusdam rotulis incitatis, teres ac rotunda, si tempestive, mature,
 suo loco ac tempore profertur, perinde grata accidit, ac audiendi
 studium intendit; atq; poma aurea, matura, opportuna, autumnalia,
 in argento aut vase, aut mensa; sed cœlata ac emblematicâ,
 producta, palatum afficiunt, & comedendi acuunt aviditatem:
 dum contra, quæ hiât oratio, quæ nec tempori, nec loco idonea, quæ
 acerba adhuc & cruda, stuporem dentibus, palato acerbiteratem,
 aspergit, ac quod de Eucti cujusdam garrulitate, Martialis dixit:

Argenti fumosa sui cum stemmata narrat
 Garrulus, & verbis mucida vina facit.

Atque hujusmodi mala aurea, in Lectis argenteis, exhibet, cum Ver-
 bum, temporibus præsentibus opportunum, calamo erudito depi-
 ctum, in hasce chartas, conjecit, Vir-Juvenis, Præcellens, variaq;
 scientiâ Eruditissimus, pietatis insuper, ac Virtutum ornamen-
 tis, in nostra Universitate, Laudatissimus, DN. M. MICHAEL
 von Oppenbusch/ Amstelodamensis.

Frequens hodiè, de MOSCOVITIS, eorumque seu cladibus,
 seu victoriis est narratio, MOSCOVITAS canit fama ancipiti
 Judicio: æstimant cives elegantiores; garrunt subrostrari. No-
 strum est, eorum sacra, ac religionem indagatam examinare: Ves-
 sparum; an Apum, nidos colant? fasne, eos Christiano nomine di-
 gnari; num dedignari? Desiderium hæc talia sciendi, prænominatus
 Dn. ab Oppenbusch/ acuire potius; quàm satiare, conatus est, mo-
 derato Oeconomo similis, qui non semper, quam deceret, mensam
 adornat Hospitibus; sed quam, pro re tenui, ac aridâ, potest: Di-
 gnus venia omissorum, dignior laude conatum, contentionum, ac
 jam decies calcatâ, Academiæ Cathedrâ Præclarus, Dignissi-
 mus, omnium bonorum favoribus, ac promotionibus, studiorum,
 que emolumentis, quæ illi, toto pectore, à Numine precor.

I. N. 7.



I. N. 7.

PROOEMIUM.

DE Moscovitarum, Populi per magnam Sarmatiæ Euro-
peæ, juxta ac Asiaticæ partem tenentis, Religione non-
nulla colligens, difficile opus me sensi esse aggressum:
cum paucos admodum deprehenderem, qui hanc Hi-
storix Ecclesiasticæ partem penitiùs descripserint. Continuan-
dam tamen mihi cœptam duxi pertexere telam. Animumq; ad-
didit Maximè Reverendus DN. D. JOH. CONR. DÄNNHAWERVS,
Præceptor meus & Præses exercitii hujus Dexterrimus. Con-
gessi igitur & digessi, quantum ex Auctoribus, quos Fautorum
maximè Benevolentia adeptus sum, pro tenuitate mea excer-
pere potui. Suntq; præprimis *Rerum Moscoviticarum Au-
ctores varii unum in corpus congesti, & Francofurti A. 1600. in
folio excusi: nec non de Russorum, Moscovitarum & Tartaro-
rum Religione, &c. è Diversis Scriptoribus opus Spiræ A. 1582.
in quarto, typis expressum: uti & M. Adami Olearii Moscovia
& Persiæ Itinerarum auctum A. 1656. (Qui Scriptores cum re-
currerent sæpius, ubique non nominavi.) Edoardus Brewer o-
dus Anglus in Scrutin. Relig. Feblævius in notis ad Cbr. Angeli de
Gr. Ecclesiâ Tract. Hoornbecius in summâ controvers. &c. quæ
hic habent, ex dictis operibus pleraque hausta sunt. In aliis au-
tem scriptis suo loco citatis pauca admodum reperi. Possè-
vini & Neugebauri Moscoviam, hæc quidem occasione per-
lustrare non licuit.*

Tractationem autem ita dispescui, ut 1. de Initio Religio-
nis Moscicæ quædam annotârim. 2. Ipsos religionis articu-
los historicè recensuerim. Atque 3. nonnullas conclusiones
adjecerim. In enarratione Theologiæ Russorum seriem ar-
ticulorum, ut decuit, secutus sum, Laudato Dn. Præsidi meo
& in Hodosophiâ suâ & Hodomoriis consuetam. Nomina
Moscorum, Moscicorum; Russorum, Rossiacorum, Rutheno-



rum, Roxanorum, Roxolanorum, &c. neminem debent confundere: Idem enim iis populus significatur; licet appellatio Russorum latius pateat, quam Moscorum: Illâ totum Imperium Russiæ quod 500. miliaria Germ. in longitudinem patere. *Matth. à Michov. l. 2. de Sarm. E. & A. asserit*, complectente; hâc Territorium Moscuæ Urbis & Fluvii. Roxani autem, Roxolani, &c. antiquitus dicti sunt. *Confer. Cromer. l. 1. de R. Pol. c. 8. & Joh. Fabri in Ep. ad Ferd. Hiss. Infantem.*

Hæc sunt, quæ præmonere volui. Æquum deinceps, pariter ac Benevolam Lectorem efflagitans.

CONSIDERATIO RELIGIONIS MOSCOVITICÆ

CAP. I.

De Origine Christianismi Moscovitici.

Moscovitæ à S. Andrea Apostolo, Fratre Simonis Petri, initium Christianismi sui deducere amant, quem per Pontum Euxinum ex Græcia ad ostia Boristhenis appulisse, inde apud Kioviam, Metropolim tunc temporis Russiæ, confedisse, populis colendi Numinis rationem primum ostendisse, omnem Russiæ terram Baptistasse, signumque crucis illic constituuisse, gloriantur. Ulterius perrexisse in Novogrodiam Magnam, deinde per mare Germanicum Romam usque navigasse; Tandem in Peloponeso Græciæ sub Ago Rege, (S. Aegeâ Præfecto Edessenorum, ut ex *Sophronio Centur. Magdeb. c. 1. l. 2. c. 10. perhibent*) propter Christum cruci affixum fuisse.

Sanè Apostolum Andream Scytharum fuisse Doctorem, & ad Pontum Euxinum accessisse, Nicephorus, *citantib. Cent. Magd. l. c.* asserit: Quamvis Nazianzenus in Epirum, & Hieronymus in Achajam, Epiro conterminam, missum Apostolum indicent. Uti autem in Vitis Apostolorum, præter ea, quæ

San-

Sanctæ nos docent Paginæ, pleraque non satis solido nitantur fundamento, adeoque incerta sunt; Sic hoc quoque loco certi quid non definimus. Annales quidem Russorum ipsi hanc suam per S. Andream conversionem affirmare dicuntur; Cum autem concatenatos istiusmodi & accuratos annales apud Ruthenos nostros, ex Barbarie Gentis, nulli disciplinæ, nulli curiositati, illis præsertim seculis, operam dantis, sperare vix nobis liceat, alazoniam potius hanc de suo Christianismo sententiam interpretamur.

Ponamus autem conversos esse Roxolanos per S. Andream, certos tamen nos reddunt Historicorum monumenta, ante Olhæ & Wolodimeri tempora, i. e. ante Sec. X. eos Ethnicismo fuisse agglutinatos, qui Piorunum sive Peruni (quem Vlodimerus demum in fluvium projecit, ex *Elmac. Hist. Sarac. allegante Hottingero. c. 10. f. 3.*) & Stribum & Chorsum & Mocolsum (narrante *Mart. Cromero. l. 3. rerum Polon.*) item Jovem, Martem, Saturnum, aliosque Gentilium Deos (ante Quingentos annos, ut superiori seculo *Paulus Jovius lib. de Legatione Basilii Magni Princ. Mosc. ad Clementem VII Pontif. scribit*) Idola coluerint. Ut adeò eos à Sanctitate Religionis suæ descivisse dicendi fuerint. In quam sententiam *Olearius etiam l. 3. Itineris Persici. c. 21. ex mente ipsorum Russorum* inclinare videtur. Nec diffitentur ipsi Mosci seniores.

Sanè Tres Fratres Rurik, Sinaum Trowor, ex Consilio Gostomissel à Waregis in Principatum Russiæ A. M. 6370. sive A. C. 762. ascitos Ethnicos fuisse, palàm est. Defunctis enim sine Hæredibus duobus fratribus, Rurik solum, nunc Imperatorem morientem, Igor Filium Olecho propinquo cum regno commendasse; Igorem autem ductâ ex Plescoviâ Uxore Olhâ Imperium suscepisse, atque hoc defuncto ob imbecillitatem Filii Swatoslai, Matrem Olham regnasse; Hancque demum A. M. 6463. sive A. C. 955. sub Rege Constantinopoleos Joanne, Baptismum suscepisse, assumpto nomine Helenâ, *Sigismundi L. Baronis ab Herberstein, superiori seculo ad Magnum Ducem*

Ducem Legati Regii Casareique, commentarii rerum Moscoviticarum ab initio nos erudiunt. Quæ Helena in annalibus Russicis Soli æquiparatur. Sicut enim Sol ipsum mundum illuminat, ita & ipsa Russiam Fide Christi illustrasse dicitur.

Swatoslaus sive Stoslaus, ut aliis placet, Fidem suscipere noluit. Filius tamen Wolodimirus, quem ex Maluscha Novogardiensis Civis Filiâ, in Gynecæo Olhæ imprægnatâ, suscepit, fufis fratribus Jeropolcho & Olegâ, Monarcha totius Russiæ factus, exstructis primùm multis Chioviæ Idolis, quibus immolabat, susceptis item ex Rochmidâ (multas enim habuit uxores) Ifoslao, Jeroslao, Serwoldo & 2. filiabus, pace Territorio suo comparatâ, sollicitatus à diversorum locorum Legatis, Fidem tandem suscepit. Cum enim videret Princeps, varias esse sectas ad quas sollicitaretur, ipse Oratores suos misit, qui perquirerent conditiones & ritus singularum sectarum. Græcâ tandem Religione præ cæteris electâ, Constantinopolim ad Basilium & Constantinum Reges misit; Fidem Christi cum subditis suis suscepturum se promittens, Annam Sororem in matrimonium sibi si darent. Quo pretio impetrato, Corfuni præsentibus Constantinop. Impp. baptisatus est, ipseque Basilium vocatus; atque Metropolitan Kioviæ Novogrodi Archiepiscopum, in aliis verò Urbibus Episcopos à Constantinopolitano Patriarchâ sacris initiatos accepit. Regnante in Occidente Ottone III. A. M. 6469. ut *Herbersteinus habet. l. c.* id est, A. C. 961. (A mundo enim condito ad Christum natum numerant annos 5508. numeratione non quidem accuratâ, at sibi usitata) *Gwagninus in Descript. Moscov. l. 2.* Christianismi Russici initium ponit in A. C. 942. *Osiander in Cent. ad A. C. 990.* item *Lascius Polonus in Apologia Lutheranorum ad c. 8. Respons. Basilidis. p. m. 82.* ad eund. A. C. 990. *Bucholtz ad A. C. 994.* referunt.

Zonaras quidem *Tom. 3. annal. citante Cl. Hottingero. H. E. part. 1. c. 9. sect. 3. p. 658.* asserentibus idem Centuriatoribus *Magdeb. sec. 9. c. 2.* item *Micræl. Synt. Hist. Eccl. l. 3. q. 3.* Russos bello à Basilio Maced. afflictos, pace petitâ Christi doctrinam ample-

xos ait, post miraculum libri Evangeliorum ab igne illæsi & inta-
 cti (quod miraculum ex Joh. Curopalate Historico Græco ipsam
 tempore Ulodimeri factam conversionem concomitari facit
Olearius l. in. Pers. l. 3. c. 21.) sed respondetur ipsi à Cromero *l. c.* vel
 hoc argumento sui esse recidivatus, si maximè verum esset, se-
 culo nono eos credere cœpisse, quod Olha Wolodimeri A via se-
 culo demum insequente Christiana facta est. Imò ipse Ivan Wa-
 filowitz Moscorum Tyrannus in responsione ad Confessionem Job.
*Rabitz Theologi Bohemi datâ Moscuæ A. C. 1570. in Legatione Sigis-
 mundi Poloniae Regis cap. 8.* disertè Fidei Russicæ initium ad tem-
 pora Wolodimeri refert, dum ita scribit: *Baptisantur nostri in no-
 mine Patris, Filii & Spiritus Sancti, nunc & in secula Benedicti,*
postquam primus noster Progenitor, Beatus ille & Magnus Czar
Wlodimirus, diuinitus illustratus, nomen Basilii ad mysticam
undam nactus est, à quo tempore, usque ad hanc diem, non Rossia-
ca, sed Christiana appellatur Fides nostra. Confirmat senten-
 tiam nostram R. Heidensteinius *Secr. Reg. Pol. l. 1. de bello Mo-*
scovitico ex ipsis Russorum annalibus, & Byzantina Historia.

CAP. II.

De Capitibus Religionis Moscoviticae.

GRæcorum Moscovitæ amplectuntur dogmata (cum à
 Græcis ad Christianismum pervenerint, in cujus rei me-
 moriam 500. quotannis aureos Moscus Patriarchæ Constanti-
 nopolitano, sed quasi in Eleemosynam mittit.) Græcæque Ec-
 clesiae se profitentur membra, devient licet nonnunquam. In
 plerisque tamen cum ipsis consentiunt, peculiaribus sibi in-
 super fictis traditionibus. *Olear. l. c.*

SACRAM SCRIPTURAM pro Verbo DEI agnoscunt
 & venerantur. Libros Evangeliorum reverenter habent, in
 honestis locis reponunt, neque manibus tangunt, nisi prius
 caput multoties inclinando, cruce se munierint; post summâ
 cum veneratione in manus sumunt.

Biblia in Slavonicam fuderunt linguam. Quam interpre-
 tatio-

tationem cum Versione V. T. LXX. Interpretum, & N. T. vulgata congruere, *ex Amico, qui biennium nuper in Russia docendo transegit, utraque versione collata, intellexi.*

Normam Fidei Scripturam S. esse concedunt, sed non solum: Addunt enim Concilia septem Generalia priora, (post quæ celebrata pro maledictis, perversis & hæresi turpiter depravatis habent) Græcorum item Patrum, præfertim Basilii Magni, Gregorii Nazianz. Joh. Chrysofomi, Ephrem Syri monumenta: quibus addunt Doctorem suum proprium Nicolla Sudatworitz (*ap. Olear.*) dictum: Symbola item Apostolicum, Nicænum, Athanasianum consentunt. Ex omnibus Chrysostomum magni faciunt, eidemque præ Scripturâ ferè magnam autoritatem tribuunt: *vid. de Patrib. cap. 4. Theologiæ Mosc. Lascii Poloni. Sc. 2. art. 4. Sc. 5. Religionis Ruthen. Sacrani. it. Matthiæ à Mich. l. de Sarmatia As. Sc. Europæa. p. 517.*

In quæstionibus igitur Theologicis sententiam suam ex S. Scriptura, septem Conciliis & Patribus Græcis muniunt: nec quenquam tranverso, ut ajunt, digito, recedere ab illis, aut in dubium quicquam vocare volunt. *Afferente Job. Fabr. in Epist. ad Ferdin. Hisp. Princ. Specimen vide in Respons. Job. Basilidis Rocytæ Bohemo data, apud Lascium. Item: In Epistolâ Johannis Metropolitanæ Russiæ ad Archi-Episcopum Romanum. A conceptâ quippe opinione nequaquam se amoveri patiuntur.*

Scripturam S. Imprimis Novum Testamentum (Vetus enim quod multa obscæna continere rudunt, si assumeretur in templum, nedum prælegeretur profanare fanum suum boant, *ex ratione Olearii*) in Templis suis prælegunt Sacerdotes Sanctiones, *ut Jovius addit.* Ita tamen offensatè, ut nec ipse, qui legit intelligat, idq; inter Auditorum confabulationes, *ut Navigatio Anglorum habet, tempore Edoardi VI. Reg. Angliæ inchoatam.*

Interpretationem Lectioni non addunt, abstinenteque concionatoribus, idque idèd, quod opinantur se hoc modo varias hæreses & diversas de fide opiniones effugere, quæ ex concionibus & subtilibus argumentis, sophisticisque quæstionibus oriun-

oriuntur. Rudes item Imperatorum animos simplici potius doctrinâ, quàm altissimis arcanorum interpretationibus ad sanctiorem morum frugem evadere Disputationes igitur de rebus divinis penitus respuunt. Sic enim unitatem & puritatem fidei servari posse autumant. Patrum tamen, utpote qui res intellectui difficiles enuclearunt, lectio frequentior & prolixior ipsis est, illorum, quos suprâ nominavimus; quibus Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Gregorium Papam in Linguam Illyricam traductos addit, *Paul. Jovius in Leg. Mosc.*

Controversia Theologica orta si fuerit, Patriarchæ vel Episcopo pro ipsorum Spiritu definienda committitur, neque quicquam inconstanti vulgo & inconcordi relinquitur. Cum Sacerdotis labia legem Dei custodiant, & lex ex ore ejus requirenda sit. *Fabri.*

ECCLESIAM coetum esse DEI, cui uni, vero, Sancto, DEUS gratiam suam & salutem promiserit, credunt. Seque esse illum coetum constanter jactant.

Oderunt igitur & pro hostibus Ecclesiæ declarant *TURCAS*, quod patet ex *litteris Basilii ad Clem. Papam A. M. 7030.* *JUDÆOS* abhorrent, nec eos intra fines suos admittunt, *Jovius l. c.* Imò omnes, qui in religione ab illis dissentiunt, Barbarorum loco habent, ut pollui Princeps existimetur, quoties exteris Legatis manum deosculandam porrigit: inde Pelvis Throno appositus, de quo *Heidensteinus l. 1. de bello Moscov.* *Olearius l. 1. c. 7. Possévin. de reb. Mosc. p. 2. Herberst. p. 94.* *ROMANOS* pro Christianis quidem habent, errare tamen eos in Religione demonstrant, aded ut si ex Latina Ecclesia ad Moscoviticam transire qui desideraverit, per Baptismum denuò initiandus à Russis existimetur. Imò, uti Orientalem ab Occidentali Ecclesia diffidere & disjungi scimus, ita Russi Græcorum sequaces à Romanæ Ecclesiæ consensu sese præcidunt tantâ pertinaciâ, ut nihil commune habere velint cum Latinis (quos ita dicunt, quia in cultu divino publico Latinâ linguâ utuntur) *Cromer. lib. pr. Polon. p. 500.* Imò Moscovitas iratos

imprecari alicui suorum, ut fiat Romanæ Religionis, ad eam exosam habere, refert *Michalo Lituanius fragmine* §. Canon etiam est Metropolitanæ cujusdam Johannis, qui Propheta dicitur. *ap. Herberst. quo sciens cum Romanis comedens, orationibus mundis mundari jubetur. Nec uniri desiderant. Paul Piascius in Chron. Gestorum in Europâ ad A. C. 1595.* Tentatam fuisse Romæ, cum absolutus esset ab Excommunicatione Henricus IV. Rex Galliæ à Papa, & Legatio Russica Polonici Imperii Romam venisset, unionem cum Græcis; atque factâ Synodo consensisse Russos, ut se Romanæ jungerent Ecclesiæ. Duos itaque è medio sui ad Clementem VIII, Pontif. pro ineunda hujusmodi conjunctione misisse, Hypatium Pociey Vlodimirensem, Brestensemq; & Cyrillum Terlecki Luceorientem Episcopum, qui Professionem fidei Catholicæ conformem Romanæ enunciarint, rati quod reliqui eorum auctoritatem ac exemplum ad amplectendam eandem conjunctionem cum Romanâ sede sequerentur. Sed reversos in Poloniam, secus quàm sperarant, aversos à se & ab Unionem illa Ecclesiasticorum & secularium animos invenisse. Imò Unionem istiusmodi ad eam exosam Russis esse, ut auditò solo Unionis nomine ab omni de eâ Tractatu prorsus abhorreant.

Isidorum Metropolitanum Russum Kyoviensem tempore Eugenii IV. Papæ, ad Concilium Florentinum in centum equis ivisse & Ecclesias Ruthenicis cum Romanâ univisse; sed à Moscovitis, obedientiam Romanam eis prædicantem, spoliatum, captum, in carcerem conjectum & in necem extremam impulsam referunt *Matth. à Michov. l. c. Gwagn. Sacranus Elucidar. Error. Ruth. c. 1. aliq.* In quibus autem articulis à Romanis dissentiant, ex Thesis nostris partim intelligetur, partim legi potest in *Epist. Job. Metrop. ad Papam*, ubi articuli recensentur controversi, de Jeuniis, conjugio Sacerdotum, invalida inunctione Baptizatorum à Presbyteris, Azymis, & Processione Sp. S. à Filio. *Recensuit prætere à Scarga Jesuita Vlnensis l. de Uno past. Esc. part. 3. c. 2. errores tam Græcorum quam Russorum. Præstitit idem Job. Sacranus. Canonicus Cracov. in Elucidario c. 2. Ad etiam*

etiam sis *Hist. Eccles. Hottingeri part. 3. sect. 1. Nec non Summ. Controversj. D. Hoornbecii. l. 11.*

Cromerus l. pr. Poloniae p. 500. Russos à Romanis ritibus magis & institutis Ecclesiasticis, quam dogmatibus religionis dissentire ait. Quide Divisionibus Græcorum à Romanis scripserunt, Sacranus Relig. Ruthenor. c. 3. item Leo Allatius Cretensis in lib. 3. de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetuâ consensione, cum ad institutum nostrum, quibus Religionem Moscorum delineare propositum est, ex professo non pertineant, hanc materiam penitiùs scrutanti satisfacere poterunt.

Mitiùs quodammodo & gratosè de *LUTHERANIS* locutum esse Johannem Basilii Gzarem, *Oderbornius* Vitam Tyranni describens annotat: *Lutheri sc. dogma veritati vicinius omninò videri, illudq; tolerari etiam posse, nisi Author intempestivâ vehementiq; eloquentiâ in unum, Pontificiæ causæ jugulo incumbens, veterem sacrorum ordinem evertisset, sanctarumq; literarum scientiam, turpi transfugio abjectâ imprimis cucullâ & habitu, cum Sacra Virgine nuptiis obscurasset.*

Sed ipsissimam suam mentem Tyrannus explicatam dedit durùs (ab Adulatoribus dubio procul laceffitus, quos inter Caspar Vitebergensis Apostata, Russorum ritu rebaptisatus) in responsione ad *Piam & cordatam Job. Rocytæ confessionem*, ubi Lutherum perversionis scripturarum & functionis incusat; Lutheranos Concionatores *Kaznodzieie*, corruptores, non ritè vocatos ministros, &c. blaterat Tyrannicè. *Vide Lasicii Apologiam.* Hodiè tamen non tantùm pro Romanis (nos enim Germanos vocant) in Ditione Russiæ toleramur, sed & exercendi publicè Religionem nostram in publicis templis privilegio donati sumus & ditati, adeò ut in ipsius Regiæ suburbio. Nova Inafemska Sloboda dicto, duo nunc à Germanis exstructa sint templa. (Calviniiani itidem duo Batavis & Anglis obtinuerunt.) Cum autem Ludovicus XII. Rex Galliæ A. C. 1627. præter commerciorum, Religionis etiam Pontificiæ sollicitaret libertatem, repulsam passus est. *Olear. l. d. c. 32.* Imò cum largirentur Mosci nuper-

rimè Holsatis transvectionem mercium Perficarum per suam Tellurem, eâ id concesserunt lege, ne Religioni Latinæ addictos inter se haberent: ut non immeritò miretur Olearius, quî factum quod Uladislauum Poloniae Principem A. 1610. in Imperatorem suum elegerint. De qua Electione *Kobierzycky Uladislauus Pr.* consuli potest. Primos igitur post se agnoscunt Christianos Græcos: Secundò ponunt loco Lutheranos & Reformatos. Tertiò demùm Pontificios. Turcas, aliosque excludunt. Ut aded distinguere videantur, licet omnes à fide sua alienos pro Barbaris habeant; ita ut templa sua nemini nisi Baptismo Græcanico Baptizato liceat intrare, nî velit vel occidi, vel in Siberiam relegari, vel rebaptizari. Templum enim istud profanatum putant, quod miris inde ceremoniis sanctificare iterum necessum censent. L. B. de Herberstein impetrasse tamen se refert in festo assumptionis Mariæ in majus arcis templum ingressum. Quod non ita absolute & promiscuo omnes pro Barbaris habeant à se diversos, inde perspicitur, quod Legatis Lutheranis & Calvinianis & Pontificiis ad Audientiam coram Principe admissis templum arcis prætergredi (Græcis autem etiam ingredi) liceat, cum tamen Turcæ, Tartari, Persæq; per aliam viam ad faciem Imperatoris ducantur. Visibile aliquod Ecclesiæ caput neutiquam admittunt, Papam Romanum non accepisse plenitudinem auctoritatis à Christo; nec primatum in Ecclesia habere affirmant, ejusq; nomen ægrè in aures dimittunt; Moscus Papam non nisi Doctoris titulo dignatur. Patet hoc ex Basiliæ ad Papam Epistola, ita incipiente: Clementi Papæ Pastori & Doctori Rom. Ecclesiæ. Imò & Rom. Ecclesiam cæterarum omnium principatum tenere negant.

Miracula infidelium causa fieri olim consueta, credenti hodiè spectanda non esse, optimè scribit *Basilides c. 4. Resp.*

Hierarchiam triplicem venerantur Moscovitæ. **MATRIMONIUM** ita contrahunt, ut quartum consanguinitatis aut affinitatis gradum non contingant. Polygamiam simultaneam improbant; De successiva ita statuunt; Possè alteram quidem duci uxorem, sed vix legitimum matrimonium esse putant:

Ter-

Tertiam sine ponderosa causa non permittunt : Quartam in totum interdicit. Divortium admittunt, consensu tamen Episcopi. Matrimonium non nisi publicè in Ecclesiis contrahi volunt. Sacerdotibus Conjugium non tantum permittunt, sed ex *1. Tim. 3. vers. 2.* necessarium esse docent, ad eò ut neminem in Sacerdotium promoveant, nisi uxorem habuerit; & mortua uxore prima à sacris suspendant.

Ducere autem volunt Virginem, non viduam, nedum se- quioris famæ foeminam. Errare scribit *Job. Metrop. ad Archi- Ep. Rom. ap. Herb.* Latinos & peccare contra S. Synodum quæ fuit in Gangra, dum à Sacerdotibus, qui uxores habent, sumere corpus Domini renuunt.

MAGISTRATUM summa observantia prosequuntur, ad eò, ut Voluntatem Principis DEI esse voluntatem fateantur; & quicquid Princeps egerit, ex voluntate DEI agere. Atq; ob id, Clavigerum & cubicularium DEI appellant, Executorem deniq; voluntatis divinæ credunt. Imo in Rebus Fidei Principem ipsum quicquid credere aut opinari vident, id rectum omnibusq; sequendum statuunt. Provinciarum Principes ipsos *Job. Faber* quod *Duci Pr.* ad eò sint obtemperantes, ut nullus eorum tam fit illustis, dives ac præpotens, quin accersitus à Duce per minimum etiam Præconem, statim advolet, omnibus mandatis sui Imperatoris instar Dei obtemperet, etiam in iis causis, quæ vel vitæ detrimentum exigere videntur. Obedientiam enim in Viro præclarissimam esse censent. Oderbornius inter cetera beneficia quibus humanum genus cumulat Deus non Postremum & hoc esse testari Moscos testatur, quod Imperia orbis terrarum conseruat, quod certos homines ordinat, qui Resp. piarum & impiarum gentium administrent, ne omnis humanæ vitæ ratio & ordo pervertatur, & omnia plena sint tumultu & confusione. Heidensteinus persuasum Moscis esse scribit, *Metropolitæ* maximè opinionem hanc eorum iurantibus, per Principem tanquam interpretem Deum secum conjungi: ac prout de Deo meriti sint, ita Principem vel benignum in se, vel asperum esse, &c. De Consiliariis Imperatoris & Politia *Russiæ* consule *Olear. l. 3. c. 13. lt. Perf.*

MINI-

MINISTERIUM ECCLESIASTICUM sanctè habent, atq; ordinem inter Ministros admittunt. Supremus Sacrorum Moscoviticorum Rex seu Moderator Patriarcha est, Moscuæ degens. Olim à Patriarcha Constantinopolitano, aut Metropolita confirmari solitus. Hodie autem Clerus Moscoviticus è medio sui nonnullos feligit tanto munere dignos, Magnoque Duci denominat; qui cum Metropolitanis, Archi- & Episcopus consilio habito ex denominatis Patriarcham eligit & confirmat. Modernus Miceta nominari dicitur. Dignitas & potestas Patriarchæ post Imperatoris maxima est. Judicat in Ecclesiasticis, ponit, abolet, atque agit pro suo judicio absolute, Zaarique executionem mandat, à quo aliàs etiam in consilium accersitur. *Olearius* quatuor post Patriarcham recenset Metropolitans Novogrodiensem, Rostoviensem, Casanensem & Sarskiensem, quorum ultimus Moscuæ in aulâ vivat Ducali: Septem insuper Archiepiscopos, unumque Episcopum. *Hoornbeec* duos Patriarchæ Metropolitans Novogardiensem & Rostoviensem annumerat, & his alios Episcopos. Alii aliter numerant. *Olearii* equidem Authoritatem multum hic atque in aliis valere debere censeo *αυτόπτης* scil. quique singula diligenter scrutatus atque ex populis quibusdam expiscatus est. Cujus etiam Itinerarii ultimam editionem cum auctario singula notatu digna exactius dilucidare ex ore D. D. Wendelini Sybelistæ Imp. Ruffici nuper Medici, cujus etiam mentionem injicit *Olearius* l. 2. c. 1. I. P. me per literas confirmavit Exc. D. D. Joh. Corfinius, Pastor Cath. Hamb. Patronus meus.

Popas s. Sacerdotes (qui ex Diaconis in conjugio viventibus promoventur) plurimos Ruffia alit, aded ut unica Moscuæ eorum 4000. numeret. Munere suo digni judicantur, si possint absque titubatione legere, scribere atq; cantare. Præcipuus horum ornatus Biretum est; in quo Poparum consistit veneratio. Multâ magnâ multatur, qui diverberans Popam pileolum hunc tetigerit, parvi autem penditur si cui libuerit Sacerdotem depectere (quod rarum non est, idque in Cabacis s. Symposiis)

mitram

mitram hanc sacram detraxerit, capitiq; cæsi mox decenter
rursus imposuerit. Posoci aliàs etiam seu scipionibus, quos ma-
nibus gestant à plebejis, Item nigro vestitu discernuntur. Ter
Sacerdos in hebdomade ordinaria sacra peragere obstringitur.

Sequuntur Coenobiorum (quorum Russia est plena) inco-
læ Monachi, ordinis præcipue Basilii M. & S. Benedicti; quibus
cœlibes vivere, duram subire vitam, nunquam carnibus in cœ-
nobiis vesci in junctum est. Rudes sunt, ut vix decimus ora-
tionem dominicam novisse perhibeatur.

Monasteriorum Abbates Archimandritæ: Priores Igume-
ni ipsis dicuntur. Simoniam frequenter inter spirituales Rus-
siæ (atque utinam solius!) exerceri notum est.

Dantur tamen in Russia Eremitæ, Eleemosynis peregrin-
antium ex devotione viventes. Tribunal Cleri. *Vide quod Sig.
Herbersteinium.* Vivunt Episcopi, & Sacerdotes tum Decimis,
tum singularibus Patronorum beneficiis; arces enim ut in Pa-
patu, non possident.

Templa (ad cœlum repræsentandum s. infinitam DEI Ma-
jestatem rotunda) quamplurima possident, nullis subsellis, sca-
mnisve instructa, cum devotionem vel stando, vel in genibus
in facie etiam procumbendo peragant. Moscuam urbem 2000.
templa lapidea, additis facellis & cœnobiis complecti, *Olearius*
l. 3. c. 28. refert, cum Magnatum quivis in lautiore statu constitu-
tus pro se exstructum habeat facellum proprium. Religiosissime
autem templa venerantur, adeò, ut nec viris nec fœminis conju-
gali consuetudine pollutis, nisi privatis prius balneis abluantur,
ea intrare concessum sit: Musicam templis exesse volunt, item
Divorum statuas (pictas tamen imagines frequentes admit-
tunt.) Campanis delectantur, iisq; magnam vim cultus divini
adscribunt. Templorum apices necessariò crucis signo ornant,
nec ejus defectu templa pro templis habent: Crucem enim in-
signia Christianorum esse continuè docent. Uti templa, ita &
cœmetria ab omni externâ impuritate servant vacua. Nec cam-
men, animal ipsius immundissimum sacrum percurrere locum
patiuntur.

C

Cla-

Claves solventem ligantemque exercent. Eos enim, qui publicè peccant, excommunicatione perfequuntur, quam obſcha vocant: quam ſi quis incurrit, è communi omnium hominum confortio & converſatione eccleſiaſtica ejici, *Fabri refert in Rel. Moſc. p. m. 141.* Die Eos viridium omnes à Religione ſuâ alienos præſente Imperatore banno percutere, *ex Amico è Ruſſia mihi innotuit.*

Pœnitentes tamen etiam abſolvunt poſt dictam confeſſionem, & recenſionem ſingulorum peccatorum. Sacerdotibus clavium poteſtas tradita non creditur, niſi ad imitationem Chriſti in aures illorum dicatur: Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.

DEUM TRIUNUM Ruſſi, ſecundum Symbola Apoſt. Nicænum & Athanaſ. conſitentur. ſc. Primam perſonam Creatorem coeli & terræ Patrem eſſe Domini noſtri JESU CHRISTI. JESUM hominem perfectum ex Mariâ Virgine natum, eſſe illud ſemper exiſtens Verbum divinum cum Patre & Spiritu S. Spiritum S. cum Patre & Filio æternum eſſe & ſumum Deum. Eundem tamen cum Græcis errorem errant, docentes; Sp. S. à Patre ſolum, non autem etiam à Filio procedere; Latinis exprobrant, quod in Symbolo Nicæno voci à Patre addiderint, à Filioq; eſſe nimirum contra candorem, & importare in Sp. S. duas virtutes, duas voluntates & duo Principia. *Jovius* quidem Græcos, in Synodo Florentinâ ſub Eugenio IV. Papa, A. C. 1439. celebratâ, è ad actos eſſe evidentiffimus rationibus, aſſerit, ut Sp. S. à Patre per Filium produci faterentur. Hujus tamen Synodi decreta Moſcis nullius ſunt autoritatis, utpote ſeptem primis unice fidem dantibus.

ORIGINALEM LABEM deplorant, naturam hominis extreme corruptam eſſe aſſerentes; ita ut in locum imaginis Dei Sanctitatis, veræque juſtitiae, nunc contemptum Numinis, injuſtitiam, impietatemque ſucceſſiſſe opinentur. Ajunt in carne noſtra non eſſe bonum, omnesque homines in tenebris & denſâ ignorationum nocte ſepultos violare mandata Dei; & ex pravo corde, tanquam ex perenni fonte, omnium malorum
rivu-

rivulos descendere. Sentiunt præterea præclare; Deum Opt. Max. peccati causam non esse, sed perennem potius, perpetuumque bonorum omnium fontem. *Odorborn.*

Somnio de Liberi Arbitrii valore multum tribuunt: Christumque ita neminem in libertatem asseruisse asserunt, ut vel bene vel male agere, uti olim Adam, possit.

DECALOGUM Russos eadem tenere autoritate, quâ Mosis primò traditus est, quasi nunquam intermoriturum *Fabri* tradit. *Johannes autem Basilides Dux* abrogatum esse ab Apostolis Decalogum in Exodo à Mose descriptum, præter hæc duo: Diliges Dominum Deum tuum, toto pectore tuo, proximumque tuum uti Teipsum, contendit *c. 5. Responsonis*. Hinc dedecere Christianos veros, ait, à doctrinâ Evangelicâ ad Veterem Legem transire; Transeuntem autem ejusmodi fieri Apostatam, & unâ cum Judæis Christum crucifigere Testatur idem *Clemens Adam in Angl. Navig.* ita scribens: Orationem Dominicam decimus quisque haud novit. At Symbolum Apostolicum aut decalogum Mosis nemo aut admodum pauci. Ajunt enim rem tam arcanam ac Sacram in Vulgus enunciari non oportere, Decalogum etiam sanguine Christi antiquatum esse.

Quâ tamen ratione secundum seriem Præceptorum divinatorum vivant, paucis recensebo. Secundum Præc.

I. DEUM quidem reverentur. Sanctos tamen demortuos, atque imagines valde etiam venerantur. Ad objectionem ex *Matth. 10.* Domino DEO tuo genu flectes, ac huic uni servies: ita respondet *Basilides*: Verba hæc esse Christi ad Satanam. Jam autem à se supra scriptum esse, fas esse ut sanctos invocemus.

Mariam Mediatricem Salutis hominum vocant, per quam placatus nobis DEUS, *Basilides c. 13. Et 6. Resp.* dignam invocatione, quippe quæ sit Deipara, confidentiâ maternâ ap. Filium pollens, defectus nostros supplens, pro universo Christianorum genere orans, illudque protegens. Hujus servari Moscua imaginem à Maria ipsa, cum à B. Luca ipsi exhiberetur, verbis hisce: Gratia mea & potentia sit cum hac effigie mea,

Benedictam, *Basilides* itidem affirmat, inquit; integram manere Christianitatem dum imago ista mandato divino in Regia sua servatur. *Apostolos* honorant, orant, invocant & ad ossa eorum, ut & Prophetarum & S. Patrum & Martyrum, cæterorumq; Sanctorum genua flectunt, ut eò majus ipsorum auxilium sentiant. Imaginum, quarum venalium Moscuæ peculiare forum habent, hunc ordinem ponit *Basilides* (ex cujus *Responsionis ad Confess. Rocytæ* c. 6. § 11. & 13. hæc potissimum excerpti) Primo est *Jesu Domini*; deinde purissimæ genetricis; Tertio eæ, quæ sunt potestatum cœlestium, Sanctorumq; omnium, Saluti hominum opitulantium. Inprimis *Nicolaum* aliquem *Barensem Patronum* habent, quem divino ferè cultu prosequuntur, ejus miracula celebrant, templaque nomini ejus dicata erigunt, proque Deo Tutelari habent. A Germano Præfecto, monachum *Russum Eleemosynam* nuper petiisse, in nomine *Quartæ Personæ S. Triadis*, eumque interrogatum, quæ *Quarta* illa esset persona? *S. Nicolaum* esse respondisse, *Amicus sapius memoratus mihi per literas retulit*. Cultum Imaginum à *Damasceno* se esse edoctos produnt: Quem cultum nequaquam *Idololatriam* dici patiuntur. Expressè *Basilides* distinguit, inter *Imagines in honorem obscœnorum hominum*, *Dianæ*, *Apollinis* factas, i. e. inter *Idola Gentilium*; & *Imagines divinas in honorem sanctorum pictas*: illa esse detestanda, has autem colendas. *Protopopam* noviter contra *Imagines Moscuæ* locutum, refert *Olearius*, ast re ad *Patriarcham* delatâ, *Sacerdotem* hunc diris minis in *monasterium* detrusum esse.

II. Devotionem aliàs magnam præ se ferunt *Maximi* minimi. Nunquam manè exeunt, in salutato suo *Sanctulo*, quem in *Pariete interioris domûs* loco quidem obscuriore depictum habent. Alterius domum ingredientes, si vel decem adsint præsentibus omnis honoris *Hospites*, instar tamen mutorum intrant, omnium primò ad *Imaginem sancti* respicientes; quâ visâ inclinato ter capite suum *Gospodi pomilui*, *Domine miserere mei* orant; atque tum quos adesse vident homines salutant, & peragenda

agenda peragunt. Peregrinationes votivas frequentant. Ipse Imperator bis quotannis in Festis sc. S. Triadis & Michaëlis, Troizenſe monaſterium S. Trinitati Sacrum, 12. milliaribus Germ. Moscuâ diſtans, S. Zergii Eremitæ Rutenici, qui A. C. 1563. Igumenus eorum obiit, & in Divorum relatus eſt numerum, oſſa reſervans, viſitat, ita ut dimidium milliaris ultimum ipſi ſit pedèſtre.

Orantes Ruſſi ſæpiùs in terram contundunt frontem, cruce in ſuper ſe quater ſignant, ita, ut frontem primò, (1) Chriſti adſcensionem ſignificante, deinde pectus, (2) receptaculum feminis verbi divini; mox dextram, ac demum ſiniſtram pectoris partem, (3) Reſurgentium ſtatùs memores, punctim in formam crucis tangant: Aliter manum ducentem pro domeſtico fidei non agnoſcentes.

Superſtitionibus in ſuper indulgent. *Confer hîc Epîſt. de Relig. Ruſſorum ad D. Dav. Chytræum.* Inferendum hîc puto, quod ex *Herberſteinio, & Scaligero, ad v. Card. Ex. 183. ſ. 2. G. I. Voſſius de Orig. & Progreſſu Idololatriæ l. 4. c. 63. de ὀφιολατρεία Ruſſorum annotat.* Eſſe inter Moſcos, & Samogitas ſerpentum cultores, qui ſi quid domi ſuæ accidit ſiniſtri, minus ritè cultum numen (lacertum) arbitrantur, aut deterioribus, paucioribusque acceptum epulis: adeoque magna curant attentione, quo res ſecundiori ſorte progrediantur.

Falsò jurare adverſus inimicum & præcipuè contrà Virum Romanæ profeſſionis, non eſſe peccatum, affirmare Ruſſos, affirmat *Sacranus*. Jus jurandum alias eis eſſe ſanctum, teſtatur *Olearius*, aded, ut non facilè Moſcovita juramentum præſtet publicum. Si enim præſtiterit juſtum, contemptu tamen habetur, & Triennio uſu S. Coenæ privatur: Si injuſtum, fuſtibus in Siberiam ablegatur, nec S. Synaxeos, nî agonizet, particeps redditur. Circa tamen negotiationes jurare Ruſſis facilè eſt. Jurando tamen ac blaſphemando rarò eos Nomen DEI uſurpare, cum autem jurant per oſculum dicta vel promiſſa firmare, *Herberſteinii verba ſunt*:

Vota monastica non ignorantur ap. Moscos, eaque facta strictissimè servanda esse credunt: atque ideò Russos egregiè laudat Joh. Fabri. *Joh. Basilidis c. 14. Resp. de Votis* verba hæc sunt: *Factò castitatis servandæ, extra conjugalem copulationem, & abstinendi à carnibus, voto præstandum id est, non tamen delectus, sed abstinentiæ causâ; Qui v. hæc non vovent, iis in matrimonio vivere & carnibus vesci licet: modò mandata Christi observent. Eadem enim sunt præcepta vivendi data, tam Monachis, quam secularibus hominibus.* Ditiore aliquando sentientes obitum, sumto S. Viatico Votum monasticum subire solent, & radi, ungi cuculloq; monachali se indui patiuntur. Quo vestitu Seraphino induti octiduum sine medicamine, aut cibo ullo consumere debent, putantes se nunc esse *ισαγγέλως*. Ægro autem istiusmodi sanitati restituto, Votum factum rescindere non licet, sed divortio facto monasterium intrare necessum est.

III. Sabbathi Observatores videri volunt. Festa quoque quamplurima in honorem sanctorum celebrant: Viri quidem præstantiores peractis sacris, Ebrietate & commestationibus: vulgus autem, domestici & servi laboribus, cum feriari & à labore abstinere Dominorum esse dicant: Cives etiam & Mechanici reversione ad laborem, sanctiùs putantes incumbere labori, quam bibendo, ludendo, &c. substantiam & tempus inaniter perdere. Feriis tamen Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Vulgus etiam à labore abstinet, idque iudicio *Sig. Herbersteinii*, non tam propter cultum divinum, quàm potum. Cerevisiæ enim & Medonis potus aliàs ipsi prohibitus, tunc concessus est, quo se tum & aliàs fortiter ingurgitant. Nuperrimè tamen Patriarcham constituisse *Olearius* commemorat, ne diebus Dominicis vel festis, quibus addidit feriam septimanæ 4. & sextam ullus vel officinam vel cauponam aperiat.

Festa potiora hæc sunt, post Novi anni, cujus initium 1. Septembris ponunt, d. 8. Sept. *Festum Nativitatis Mariæ*. 14. ejusd. *Exaltationis Crucis*. 21. Nov. *Oblationis Mariæ*. 25. Dec. *Nativitatis Christi*. 6. Jan. *Epiphaniæ*. 2. Febr. *Purific. Mariæ*. 25. Mart.

25. Mart. *Annunciationis Mariæ: Palmarum*, ubi solennis Processio, in quâ Czar Patriarcham, equo insidentem, equo ducto pedestris ducit; 400. Imperiales à Patriarchâ pro exhibito honore persolvendos merens. *Paschatos*, quod maximo celebrant gaudio, partim distributione ovorum diversi coloris, partim osculis votivis. Obvii enim dato osculo ita se salutant: Christus resurrexit: respondent: Verè resurrexit. Magno Duci in more fuisse positum *Olearius* narrat, ut summo mane captivos visiteret, dato cuivis ovo cum pelle ovinâ, ita eis acclamans Gaudendum ipsis esse, Christum enim pro peccatis ipsorum mortuum, verè nunc resurrexisse. Sequuntur Festa *Adscensionis Christi, Pentecostes*, 6. Aug. *Transfigurationis Christi*. 15. ejusd. *Adscension. Mariæ*.

Hæc festa ab omnibus observari debent: reliqua quotidiana (fit enim nunquam, ut uno die vel tria coincidant Festa) Laicis adiaphora sunt; Clerici tamen significant legendo, cantando, missificando. Sanctificationem Sabbathi describit *Olearius I. P. l. 3. c. 25*. Ter Tuffi die dominicâ in templis conveniunt, ante Solis ortum, circa meridiem & vesperi. Popa pleno guttore prælegit certa è S. Bibliis capita, præprimis aliquot Psalmos, Evangelium, Homiliam Chrysofomæam, Symb. Athanasii, nonnullasque precatiunculas: sæpius repetens Gospodi pomilui, quod populus crucibus se signans ter repetit. Liturgiam postea obit, quam ad memoriam mortis Domini necessariam esse sibi imaginantur, ad normam missæ Basilii M.

IV. Obedientiam Parentibus, iisque qui Parentum nomine veniunt, exhibent. Patres ære alieno obærat quater filium vendendi potestatem habent.

V. Rixas amat Vulgus Moscoviticum, à quibus haud rarò ad verbera devenit. Duella Russis insueta sunt. Principes Viros loris invicem se cecidisse aliquando, idque equitantes, comperitum est: Globulis autem acinacibusve congressos fuisse, exempla defunt. Amor in Russia rarus est, Pater Filio, Filius Patri, Fratri Frater insultat, mutuisque se laceffunt convitiis.

Gwagn.

Gwagn. Homicida voluntarius sex septimanis duriter in carcere poenitere cogitur, quibus præterfluxis, post acceptum SS. Coenæ Sacramentum, decollatur.

VI. Lascivi perhibentur. Conjugium tamen immaculatum de jure servant. Nec Tartaros, nec Moscos ullam permittere mulieribus libertatem; ac vulgò id dicere, qui mulieri libertatem concedit, is sibi eam adimit, *Michalo fragm. 8. narrat.* Domi igitur conclusæ vivunt, parum pudicæ æstimatæ, si se viris alienis conspiciendas præbuerint. Juris aut negotii prorsus nihil in ædibus habent; omnes labores domestici servorum fiunt operâ. Quid mulierum manib. suffocatur s. Gallina, s. aliud aliquod animal, id abhorrent, tanquam impurum (de lautiorib. loquimur) cum autem Viris fortè & servis absentibus gallinas v. c. jugulare volunt, præ foibus stant, tenentes gallinam & cultrum, prætereuntesque viros, ut ipsi interficiant, plurimum rogant. Summa earum recreatio est, quando certis diebus festis, imprimis S. Petri & Pauli à Maritis dimittuntur, ubi in pratis rotæ aut funi insidentes, alternatim sursum, deorsum; huc, illucque moveri amant, quo gaudio eantantes manibusq; pedibusq; plaudentes frui perhibentur.

Adulterium non appellant, nisi quis alterius uxorem habuerit. Amor conjugatorum, ut plurimum tepidus est, eo quod præsertim nobiliores Viri, puellas ducunt nunquam à se visas. Hinc divortia inter eos frequentantur, Ipse Imperator in monasterium cum Filiabus detrudere Imperatricem consuevit, si Filium non peperit, aliam ducens.

Fornicationem simplicem non esse peccatum mortale statuere Russos, *Possevinus* & *Sacranus* ferunt. Lupanaria tamen publica non tolerant, singulari autem aliquâ poenâ scorta non affici certum est. Ipsum sanè peccatum sodomiticum leniter ap. eos puniri, *Olearius* testatur. Ubi omnem pudorem ac Verecundiam exuisse addit. Occasiones tanti criminis affert, ocium & ebriositatem, cui præ aliis Nationibus Russos additos affert Testis ocularis. Ritus contrahendi matrimonium, quâ

quâ ratione Parentes pro liberis contrahunt, cum primis Virginis Pater Generum sibi quærat; item de sponsalibus, nuptiis, &c. legi potest *ap. Olearium l. P. l. 3. c. 8.*

VII. Furtum, quamvis in Russia frequens, severè tamen prohibitum est: Primùm furti reus, Torturæ antea subiectus flagellis accipitur, atque alterâ aure à carnifice, ex Lanionibus eligi consueto, abscissâ, ad biennium carceri includitur. Secundò deprehensus eâdem ratione abscissa etiam alterâ aure turri tamdiu concreditur, donec sociis pluribus stipatus in Exilium Sibericum ablegatur. Capitaliter tamen nunquam furtum simplex puniunt. Usuram audacter exercent.

VIII. Unius Nobilis Testimonium pluris faciunt, quàm multorum vilis conditionis hominum. Poschul s. corruptio iudicum & Testium valdè ibi est in usu. Qui primùm accusat, non facilè causâ cadit.

IX. Dono Temperantiæ in excellentiori gradu non polent. Insiidiisq; nullis parcunt invadendi fundum proximi sui.

X. Justitiam originalem amissam esse agnoscunt.

LEGEM V. T. plenè abrogatam esse defendunt. Evangelium in Ecclesiis suis prælegunt, quod si non fuisset, verba divina intelligi non potuisse dicunt, idque servandum esse solum, cum Christus hodie hominibus modum Sua, Patris, Spiritusq; S. præcepta exequendi præscripserit. *Basilides c. 7. Resp.* ita concludit: Si lex observanda foret, necesse esse, etiam circumcisionem retinere, atque aded judaizare, quod tamen veris Christianis non conveniat. Christum autem dedisse novam legem, Gratiam sc. suam & Veritatem. Præter igitur Evangelium vel parùm vel multum quod sit legis alterius observantem abnegare Christum.

BENEVOLAM PATRIS VOLUNTATEM propter Christum Salutis omnium cupidam asserunt. *DEUM* autem ab Adamo usq; ad Nativitatem Christi hominibus iratum, atq; inimicum fuisse, aded ut iusti etiam propter iram *DEI* & latam in Adamum sententiam, in Satanæ fuerint potestate, ex quâ demùm per Resurrectionem Christi sint liberati, *Basilidis c. 12. Resp.*
Thesis est. *D* *DE*

DE CHRISTO Θεανθρωπῶτα credunt, esse eum Mediatorem, DEUM & Hominem perfectum, salutis nostræ causam, solum peccatorum Remissorem, unicum salutis Fundamentum, indivisum à Patre, nec tamen confusum, missum à Patre ad corporalem ejus conspectum. Passum item, & mortuum esse, propriâ virtute, vi suâ resurrexisse, inq; coelum adscendisse: Misisse post adscensionem suam divinos Discipulos Apostolos prædicaturû, quibuscum fuerit & etiamnum sit cum Fidelib. futurum etiam cum iisdem usq; dum mundus consumetur & ipse veniat judicaturû vivos & mortuos. Judicium extremum credunt & expectant.

SPIRITUM S. unius cum Patre & Filio esse gloriæ, honoris, potestatis, actionis, voluntatis assentiuntur: Eumq; procedere à Patre tantum, non autem à Filio, contra Ecclesiam occidentalem præfractè tuentur. Cum Christo nos docent unum esse, atque fideles inter se, non quidem essentiâ sed fide, mandatorum divinatorum observatione unum esse. Justificari nos merito Christi, non tamen exclusis bonis operibus. Quod ex Jacobo stabilit. *Joh. Basilii c. 6. Resp.* Ubi Paulum & Jacobum conciliat, quorum ille de fide, hic de operibus scribit. Magnam sc. inter hos esse concordiam; utrisq; enim nobis studendum esse & fidei & operibus. Paulum non excludere opera, exemplis Abelis, Enochi, Noë, Abrahami. Ut adeò fundamentum salutis fidem ponant, sed vivam, & eam, quæ à bonis operibus testimonium habeat: Ideoq; fieri non posse putant, ut quis bonorum operum excellentiâ destitutus Deo jungatur & vivat. *Scribente Odorbornio.* Posse fidelem gratiâ divinâ excidere sciunt. At desperationem vetant, dicentes, iram Dei brevissimam esse, qui & enormia flagitia condonet, eaq; oblivione deleat sempiternâ. Posse autem Renatum verbis comprehensam divinam voluntatem auxilio Sp. S. exequi, seque regnum cœleste adipisci ajunt.

Precibus student, ut in frequentandâ oratione non facillè similes reperiri, *Joh. Fabri* censeat. Orationem tamen Dominicam à decimo memoriter haud teneri *Clemens Adamus in Angl. Nav.* inquit. *Gwagninus* ita loquitur: Dominicam Orationem

per-

perpauci ex vulgo sciunt, dicuntq;, Orationem Dominicam scire, Dominorum & Sacerdotum, qui nullis laboribus occupantur, opus esse. Alias tamen precum habent formulas: v. c. Domine miserere mei: Jesu Christe Fili Dei vivi, miserere nostri, &c. Semper insuper in conspectu imaginis alicujus accensis plerunque cereis orant, pro Defunctis etiam orationes fiunt, idque idè, ut eo tolerabilior animabus impetretur locus, in quo facilis futurum expectent judicium.

De ministerio verbi supra scripsimus. *SACRAMENTA* Baptismi & S. Coenæ colunt Moscovitæ. *BAPTISMUM* ad salutem necessarium esse credunt. Nato igitur infante, ad baptismum properant. *Referente Oleario. Nam G. I. Vossius disp. 16. de Baptismo. §. 4.* non ante quadragesimum diem Moscovitas baptizare cum *Herberst.* scribit. Semper in templo baptizant infantes, nisi s. nimia loci distantia, s. infirmitas contrarium suaserint. Aqua baptismatis, cui & internam, sic & externam à peccatis ablutionem tribuunt, singulis consecratur. Susceptores duo ad summum à parentibus invitati, quos nunquam mutari audio, ut ut octo pluresve uxor pepererit liberos, respondent ad Baptistarium nomine Infantis, & quoties præeunte Sacerdote averfi à S. Vase, Diabolo ejusq; operibus renunciant, toties indignabundi in terram exspuunt. Postè à exorcismus peragitur (olim in templo is dictus est, hodiè autem extra templum fit) Abscissis dehinc infanti formà crucis capillis, ceræ intricandis & certo in templo deponendis loco; datoq; nomine, sacerdos Infantem ter in aquam mergit, dicens: Baptizo Te in nomine Dei Patris, Filii & Sp. S. Cui muneris fungendo, quæcunq; necessitas inciderit, nemo hominum nisi sacerdos sufficere putatur. Porrò ori infantis non nihil falis imponit, frontem v. pectus, manus & dorsum, consecrato oleo in formam crucis inungit, mundumq; indusium induit, his verbis: Ita mundus, candidusq; jam etiam à peccato originali redditus es. Crucem quoq; auream, argenteam, plumbeamve pro Parentum facultatibus collo appendit, in æternum Christianismi testimonium: Invento enim platea mortuo, istaq; cruce destituto sepulturæ honor denegatur. Assignato etiam in-

fanti perpetuo per Vitam Sancto. Sacerdos & infantem & Pat-
 rinos amplexatur, adhortans illos, ne matrimonium inter se con-
 trahant. *Epistola ad D. Dav. Chytræum* & hunc addit ritum: mo-
 ris esse, ut baptizati infantuli caput Flamen ad crucem templi fo-
 ribus incisam, magno impetu ter vibret, & nisi testes Baptismi
 ictus audiant, indignentur, neque puerum rectè sacris initiatum
 credant. Quod autem totum capite arrepto immergunt infan-
 tem, exemplo Johannis Christum apprehenso vertice totum im-
 mergentem, id ita se agere respondent; conspersionem itaq; in-
 sufficientem esse. Ceremonias baptismales Magnates etiam, non
 magnâ peragunt pompâ aut apparatu. Adultos Baptizandos &
 Rebaptizandos (omnes enim à suâ religione alienos, Lutherana-
 nos, Reformatos, Pontificios s. quicumq; fuerint, ad Russorum
 religionem transituros rebaptizare opus censent) in monasterio
 quopiam sex hebdomadib. docent, post ad lacum quendam de-
 ducunt atque ita, postquam cultæ hæctenus religioni renun-
 ciârunt, iisdem ritibus baptizant. Tempore brumali foramine
 glaciei inciso ita eos immergunt, ut aqua caput operiat.

S. COENÆ SACRAMENTUM reverenter administrant.
 Panem Sacramentalem (à Proscurnica s. viduâ sacerdotis effoerâ
 pistum) duplicem habent: alium pro infirmis; alium pro comu-
 nicantibus secundum consuetudinem. Illum die Jovis in majori
 hebdomade consecrant, atque columbæ lignæ impositum per
 totum annum ad necessitatis casum conservant. Hunc, dum sa-
 cra fiunt, consecrant. Necessesse autem putant adhibere panem
 fermentatum; azymum igitur in totum rejiciunt; idque con-
 tra Occidentales cum Græcis defendunt. Vinum aquâ permi-
 scent tepidum tepidâ; cum verisimile sit, sanguinem, qui cum
 aquâ è latere Christi effluxit, tepidum fuisse. Eucharistiæ Sa-
 cramentum administraturi, Vino isti calice contento panem
 fractum injiciunt, benedicunt, transsubstantiari opinantur;
 atque communicanti sub utrâque specie distribuunt Cochlea-
 ri; dicentes: *Hoc est verum corpus & sanguis Christi, quod pro te
 & pro multis traditur in remissionem peccatorum, quod, quoties
 sumseris, ad commemorationem Christi tibi sumendum erit.* Benedi-
 cat

cat tibi Deus. Fiunt hæc plerumque diebus Sabbathi f. Saturni, præmissa pridie confessione, & à carnibus abstinendo. Die sequenti Dominicâ de sacro alio participant pane, Kutja dicto, signum Christianæ charitatis significante. Devotiores Russi, quo communicarunt die, cubitum se conferunt, occasiones peccandi studiosè hac ratione effugiendi ergò. Distribuant autem S. Eucharistiam infantibus etiam, infirmis partialiter; pueris autem septem annorum peccare jam scientibus integrè. Militibus peregrè euntibus consecratus datur panis, quem si in castris fortè graviter decubuerint, vino & aquâ malefactum, instar sacramenti sibi ipsis distribuunt. Agonizantibus, post extremam unctionem, quando cœleste hoc viaticum acceperunt, divinæ potentia commendatis, medicamentis aut cibo amplius frui haud permittunt, nisi aperta reconvalescentiæ adfuerint signa.

S. Cœnæ Mysterium non concedunt, nisi pœnitenti. Ad *POENITENTIAM* publicam Ecclesiasticam præprimis requirunt Confessionem, quam præcedere volunt castigationem corporis per jejunium.

Ferias esuriales, ut partem religionis subeunt religiosissimè. Communicaturi octiduum ante S. Cœnæ usum jejunant, ita, ut præter panis particulam, & kvvas f. potum acidum ingratum nil amplius assumant. Quatuor aliàs præter ordinaria feriæ Quartæ & Sextæ solenniora observant jejunia. Ita autem jejunant, ut abstineant à carnibus, & quæ inde derivantur; à potu etiam generosiore, nec non à copula conjugali. 1. Est *Jejunium Magnum Quadragesimale*, cui septem assignant septimanas, quarum primâ ita esuriunt, ut & à carnibus & piscibus abstineant; Butyrum tamen, lac, ovaque comedant, egregiè interim & strenuè potando jejunium istud compensantes: Reliquæ sanctiùs transiguntur. Jacobitas & Armenios hæreseos accusat *Johannes Metropolita*, quod lacte & ovis in sancto jejunio utuntur. 2. *Jejunium Petrinum*, ab octavo post pentecosten die, ad festum usque Petri & Pauli durat. 3. *Jejunium D. Virginis*, à 1. Aug. ad Assumptionem Mariæ. 4. à 12. Nov. ad Natalem usque Christi.

Inter quæ jejunia hanc habent differentiam, ut primum ex mandato & ad exemplum Christi; reliqua continentia causa sponte observent, *ut habet Job. Basilii c. 10. Resp.* Jejunio poenitentiali peracto templum ingrediuntur, atq; in ejus medio sub fornice circulari facie ad certam imaginem versa, peccata sua enarrant, novamq; obedientiam promittunt. Post hæc à sacerdote absolvuntur; & secundum peccati gravitatem poenitentia eis injungitur vel certi jejunii, l. numeri precum, l. abstinentia certo tempore à foeminis, l. aquæ festo Ephiphantias Sacratæ, care à Popa emendæ, eâ abluendis. Imperatorem ipsum ejusque Magnates, sæpè tres ad quatuor noctes stare orantes, jejunantes, poenitentes rebusq; devotionis intentos, relatum mihi est. Vulgus Confessionem principum opus esse, & præcipuè ad Nobiles Dominos & præstantiores Viros pertinere existimare dicitur à *Sig. L. B. ab Herberst. & Gwagn.* Sibi autem in Deum & Filium ejus Jesum Christum & Spiritum Sanctum simpliciter credere satis esse.

Hominem morientem Christianum docent ita mori, ut tanquam Morbo correptus, justus possessionem regni æterni adeat; nec Cacodæmones aëreos illum tenere possint. Anima bonis coruscans operibus, lucidiùs sole splendeat: nec à spiritibus sibi inimicis, utpote qui nihil sui in eâ inveniunt, possit retardari: Istoq; nunc beneficio nos frui Christo in lucem edito. Justus autem ante Christum natum, mortis damnatos, in infernos descendisse. Idq; ex Rom. 5. 14. *l. Basilii. c. 6. Resp.* deducit Christo v. nato fractam esse vim mortis. Animas etiam sanctorum ante resurrectionem, Dei visione frui, Russos negare *Sacranus & Scarga;* sed dicere, unicuique vitâ defuncto, secundum meritum suum esse locum; piis quidem lucidum, cum Angelis placidis; impiis autem obscurum & cœcâ caligine obductum, cum Angelis terribilibus destinatum esse, in quo extremum expectent judicium: Illas etiam animas, quæ in locis splendidis cum Angelis placidis collocatæ sunt, gratiam Dei cognoscere, assidueq; judicium extremum fieri petere; Aliàs contra condemnationem sibi imminentem prævidere. *Herberstein, Gwagn. & Olearius* annotant.
Eas

Eas autem in Purgatorio aliquo igne purgari minimè largiuntur: Duo tantum post mortem loca scientes cœlum & infernum.

Cum *DEFUNCTIS* ita procedunt: Post obitum cadaver tertio die cum Thuribulo, cantu, ejulatione effertur: ad sepulturam locus aperitur, fit suffimentum, Pœpa orat; sæpiusque repetit formulam: *Memento Domine animæ hujus in bonum.* Salvo tandem conductu jam sepeliendum munit, ita sonante: *Nos N. N. Episcopus & Sacerdos N. confitemur & testamur, præsentem N. nobiscum, ut verum Græcum Christianum vixisse. Et licet peccarit, confessus tamen est peccata sua, atq; absolutionem & S. Cœnam in remissionem peccatorum accepit. Deum, ejusq; sanctos ritè coluit, jejuna vit & oravit, prout decuit. Mecum N. suo confessionario bene se gessit, ut peccata ipsi in totum remiserim. Quare Epistolam hanc ipsi dedimus, D. Petro, sanctisq; aliis exhibendam, ut inoffensus in januam gloriæ intromitteretur.* Commendatio hæc à Patriarcha, Episcopo vel alio Pœpa subscripta & sigillo munita digitis Defuncti, aut etiam pectori imponitur: Fitque magni à Russis. Peractis hisce cœnam funebrem opiparè instruunt, genium curant, beneque in Defuncti salutem poti quiq; domum suam redeunt. Sex postea septimanis orationes pro demortuo suo continuant, eleemosynas largiter distribuentes.

Atq; hæc sunt, quæ & pro temporis ratione, & monumentorum concessione de capitibus religionis Ruthenicæ, ritibusq; solennioribus colligere nobis licuit. Traditiones insuper nonnullas observant, quales sunt; de non radenda Barba: de suffocatis non comedendis, & similes; de quibus passim apud Authores.

CAP. III.

Judicium de Christianismo Moscovitico.

EX annotatis hætenus Moscorum Religio cognosci poterit. Quæstionem olim movisse GUSTAVI Suecorum Regis concionatorem Aulicum, D. Bodfidium, & post eundem M. Henr. Stahl. Superint. Narvensem, *Olearius* refert: *An Russi sint Christiani?* Eosque collegisse, cum essentialia Christianismi, Verbum

bum DEI & Sacramenta possideant: adeoque *fides eorum quæ creditur*, Christiana sit, omninò Christianis annumerandos esse; licet *fide quâ credunt* devient.

Juvenile meum, quod apponere jubeor, judicium, gravi huic negotio impar additurus, Virorum Doctorum judiciosorumque vestigiis hac in parte meritò insistens, concludo.

I. *Moscovitas Christianos esse.*

D. Phil. Nicolai l. 1. *de Regno Christi. cap. 7. post. med. Locum Danielis. cap. 11. s. 12. versic. 41. explicans*, per Moabitas intelligit Moscovitas Christianos (uti per Edomitas, Papæos; per Ammonitas Æthiopes) qui à potestate Mahummedanorum salvi sint mansuri: Quorum etiam infensus hostis Moscus est, quibus & superiori seculo duo Regna, Tartarorum Calaniæ in Asiam se extendentis, & Astracanam Mari Caspio Vicinum vi eripuit, incolis aut ad necem, aut ad Christianismum adactis. Laudari sanè merentur Russorum Religiosi, quorum præcipua cura est, *Teste Herbersteinio*, ut à fide aberrantes ad fidem Christi pertrahant: unde & ad varias regiones, septentrionem versus & Orientem sitas proficiscuntur, id unicum spectantes, ut rem gratam Deo facere & animas multorum (morte aliquando doctri-
nam Christi confirmantes) Christo lucrifaciant. Quod Christiani Doctoris officium esse DANNHAWERUS meus (nomen Viri dixisse fat est) in *Theol. conscient. part. 2. spec. Dial. 1. Isagog. (de quo sub Præsidio Ejus anno superiore à me defenso gratulor) p. 386. seqq.* consilio accurato dato demonstravit.

Cur autem Moscovitas Christiano dignemur Nomine, per frequentia eorum dogmata obtinere nos posse confidimus: Quia scil. rectè docent; 1. S. Scripturam Verbum Dei & normam Fidei, non corrumpendam esse, aut in hanc illamve partem torquendam.

2. Extra Veram Ecclesiam nullam esse salutem; adeoque fugiendum esse Syncretismum.

3. Papam Rom. non esse caput Ecclesiæ.

4. Nec Ecclesiam Rom. primatum in reliquas tenere.

5. Hostes Christi suos etiam esse hostes.

6. Ma-

6. Matrimonium sanctè habendum esse; nec sacerdotes ab eo excludendos.
7. Magistratum Politicum, ut ordinationem divinam observandum esse.
8. Ministerium Ecclesiasticum honorandum esse & audiendum.
9. Claves à Christo Ecclesiæ traditas exercendas esse.
10. Trinitatem in unitate Deitatis credendam.
11. Originale peccatum deplorandum esse.
12. DEUM non esse causam peccati.
13. Eum super omnia colendum; & proximum diligendum esse.
14. DEUM per & propter Christum nostri miserum.
15. Christus salutis esse fundamentum.
16. De Persona & Officio Christi.
17. Gratiam Christi per preces impetrandam esse.
18. Baptismum ad institutionem Christi administrandum esse.
19. S. Cœnam sub utrâque specie distribuendam esse.
20. Pœnitentiam esse homini necessariam.
21. Fidem Christianorum debere esse vivam.
22. Vitam æternam expectandam esse.
23. Purgatorium non dari, &c.

II. *Moscovitarum tamen Fidem, licet antiquæ & primitivæ Ecclesiæ Græcæ se successores esse gloriantur; traditionibus, aliisque erroribus misere deformatam esse.*

Errant enim 1. Patribus & Conciliis quod justum est non tribuendo.

2. Conciones Verbi fugiendo.
3. Omnes promiscuè à religione suâ disceptantes pro non veris Christianis, sed gentibus potius æstimando.
4. Divortia ex levi causa admittendo.
5. Secundum, Tertium, Quartum matrimonium non approbando.
6. Imperatori suo nimium adscribendo.

7. Monachatum nimiopere extollendo.
8. Musicam ex templis necessariò eliminando.
9. Campanis vim cultùs divini attribuendo.
10. Libero arbitrio nimum fidendo.
11. Decalogum abrogando.
12. Imagines & sanctos demortuos invocando.
13. De juramentis alienis sentiendo.
14. Sabbathum totum ritè non sanctificando.
15. In constitutione adulterii.
16. Spiritum Sanctum non etiam procedere à Filio.
17. Dum in capp. religionis adeò rudes sunt, ut pauci Decalogum, Orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum addiscant.
18. Pro Defunctis orando.
19. Panem fermentatum & Vinum calefactum, ut necessaria in S. Cœna postulando.
20. Vinum Sacramentale aquâ permiscendo.
21. Corpus & Sanguinem Christi diversis actibus non distribuendo.
22. Infantibus communicandò.
23. Bonis operibus plus justo tribuendo.
24. Non legitime plerumque jejunando.
25. Fideles ante Christum in orcum descendisse affirmando.
26. Animas Piorum ante resurrectionem visione divinâ non frui defendendo.
27. Defunctos literis comendatitiis ad D. Petrum dimittendo.
28. Disputationes de rebus fidei averfando.

III. *Ruffos si colloquutiones de Fidei articulis vellent subire, ad Lutheranos potius, quàm ad Pontificios transituros esse.*

Dolendum sanè, adeò Eos disquisitiones Theologicas respuere. Hoc quidem magno quærunt studio, ut aliis à se dogmata sua propinent, sicque in defensione suæ doctrinæ gente Ruthenâ nulla pertinacior invenitur; ut Majorem in Ruffis *Sacramus c. 3, de Rel.* pertinaciam culpet, quàm in Græcis, & semper
 reli-

religionem suam urgeant; quod in Comitibus Cracoviensibus A. C. 1633. contigisse *Piascius pag. 659. Chron. refert.* Suae tamen Fidei capita à quopiam impugnari nullatenus ferunt. Si interim per DEI Benignitatem eoque illuminarentur, ut nos audirent, scriptaque nostrorum legerent, examinarent, ponderarent; dubium non est, quin religionem nostram, utpote antiquissimam & Catholicam & Verbo DEI conformem à B. Luthero à fecibus Pontificatûs repurgatam amplecterentur. Obstitere hætenus. 1. Modò producta pertinacia. 2. Fuga colloquiorum. 3. Ruditas: dum nulli hætenus nisi suæ operam dederunt linguæ; sicque facultatem, legendi & scrutandi aliorum scripta sibi ipsis præscindunt. Barbarismum enim animo fovent; Philosophiam artesque liberales oderunt. In se tamen ingeniosos satis esse, qui facile quid assequi possint, experientia testatur. 4. Intermissa & interdicta verbi divini Prædicatio & explicatio, quâ tamen unicâ (ut Possevini ab Oleario citatis utar verbis) fere viâ inferendæ Evangelii lucis uti solita est divina Sapiencia. Ruditatem ipsorum corrigendam mox esse spes est, ex eo, quod Scholam & Latinam & Græcam extrui Czar & Patriarcha curaverint: quâ ratione translatio unius alteriusque Authoris Theologici procurari posset. In Politicis id nunc fieri opera Jesuitarum Vîlnæ nuper captorum, Politicam Lipsii, Epistolas Guevaræ, &c. vertentium, percepi.

Lutheranam autem præ Pontificiâ Eos suscepturos Fidem, inde facile colligitur, tum quia S. Scripturam nobiscum admittunt; deinde innatum contra Papam fovent odium. Præcipuos etiam Pontificiorum errores, de infallibilitate Papæ, Cœlibatu Sacerdotum, Purgatorio, Communionem sub unâ, nobiscum detestantur. Tandem Lutheranos præ aliis libenter audiunt: Quod videre licuit in colloquio Rocytæ cum Joh. Basiliide Imp. ubi Tyrannus Lutheri dogma veritati vicinior omninò videri asseruit. Quæ autem præconceptâ falsâ opinionem contra Lutheri modum procedendi tum excepit, vel vitam Lutheranorum excipere potuit, ea, si quid largiremur, regimus ipsis ipsius Basili cap. 8.

Resp.

Resp. ad Conf. Rœc. verbis: Rossiæ in terris, inquietis, si quos vides insitâ infirmitate, segnicie, non omnia mandata exequi: id non Legi, sed negligentia illorum adscribito. Quæ autem nobis desunt, quæq; ipsi implere non valemus: ea Christus suâ gratiâ complet; quâ si freti negligentes sint, ii ad-versum se gravem DEI iram concitant. Conf. cap. 2. ubi locum Matth. 7. vers. 16. exponens, per fructus intelligi vult doctrinam, &c.

IV. Moscovitam ritu Græco Baptizatum ad Ecclesiam nostram transeuntem denuò non esse baptizandum.

Baptizatus quippe est in infantiâ secundum institutionem Christi: posito quod in Tertiâ Personâ (baptizetur servus Jesu Christi in nomine P. F. & Sp. S.) immersus fuerit. Ut adeò iniquum judicemus Decretum Alexandri VI. Papæ An. 1501. scriptum, quo rebaptisari voluit ritu Græco in tertiâ Persona baptisatos. *De consuetudine Veteris Ecclesiæ in rebaptizando, legi potest G. I. Vossius disp. 16. 19. 20. de Baptismo.*

V. Moscum in simplicitate fidei suæ credendæ, quæ Christo in-nititur obeuntem, à gratiâ Vitæ æternæ non excludendum esse.

Ab sit enim ut omnes Ruthenos damnemus; sunt in Ecclesiâ: multos inter eos benè sentire compertum est. Exemplum vide ap. Olearium l. 3. c. 26. I. P. Civis Narvensis egregiè loquuti; & aliud Protopopæ contrâ imagines mussitantis. *ibid. conf. pag. 291.* Atque Ejusmodi plures esse qui Veritatem Verbi divini simplicem animo reconditam habeant, quis dubitaret?

DEUM ardentissimis suspiriis imploremus, ut discussis errorum nebulis Claritatem Veritatis suæ Genti huic Moscaicæ aperire magis benignissimè velit, ad Gloriam Nominis sui; terrorem & destructionem regni infernalis; amplificationem autem Ecclesiæ suæ.

Ipsi Laus, Honor & Majestas in sempiterna secula.

F I N I S.

Errata potiora, quæ ex incuria Typothetæ
irreperunt.


Pag. 5. lin. 26. *ingrederetur*, *ecreatusi terum*. leg. *ingrederetur*,
recreatus iterum. p. 7. lin. 5. part. 175. leg. pag. 175. p. 8. in tit.
Triphylli leg. Triphylli. lin. 18. *eingeweihet* leg. *eingeweicht*. §. 6. lin. 5.
clericis leg. clericis. pag. 16. lin. 4. *consecravarit*; leg. *consecra-*
verit. pag. 11. lin. 19. *advectam consumit*; leg. *advectas consumit*. pag. 23.
pedem in pingimus; leg. *impingimus*. pag. 30. *ἰσελοθηκασίας*; leg. *ἰσε-*
λοθηκασίας. pag. 37. lin. 28. *Huberti*, leg. *Humberti*. pag. 35. *quod accum-*
bebant; leg. *quot accumbebant*. p. 41. lin. 10. *Dare & accipere in cœnâ sunt*
actus personales. Omissa sunt hic quædam, supplenda h. m. *Dare & accipe-*
re in cœnâ nihilofecius, atq; in Baptismo, sunt actus personales. p. ead. lin. 13.
inter verba: Importantes. Rectè &c. inseri debebat integer paragra-
phus: Vti ergo nemo absentiaquam Baptismalem porrigere potest, sed
præsens potius præsentem baptizat: Ita nec absentia cœnam dare, sed præ-
sens præsentem eam porrigere debet. pag. 42. lin. ult. *Hoo denuc* leg. *Hoc*
denuc. pag. 43. §. 13. *Concili leg. Concilii*. pag. 45. lin. 13. *manducatum* leg.
manducatum. pag. 48. *& sequentium paginarum numeros corrige sic p. 43.*
49. 50 51. 52.

10

QK II, 1131

X3005617





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Π i
1131

M. N. D. N. F. C.

STATIO HISTORICO-
THEOLOGICA,

IN QUA

RELIGIO
SCOVITA-
RUM,

SUB PRÆSIDIO
DOMINI

ONRADI DANN-
HAUERI,

D. P. P. Conv. Eccl. Præf.

iter delineata & exhibita

à

ELE VON OPPENBUSCH,
Amstelodamense.

ARGENTORATI,
cusa ANNO MDCCIII.

